

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Libertas g in editionibus 1493/5 & 1550 cum fonte primo

Quid est libertas? potestas uiuendi ut uelis.  
Quis igitur uiuit ut uult nisi qui recta sequitur?

Soli hoc contingit sapienti: ut nihil faciat inuitus:  
nihil dolens: nihil coactus.

Quis neget omnes leues: omnes cupidos: omnes denique improbos esse seruos. An ille mihi liber est cui mulier imperat: cui leges imponit praescribit iubet uetat. Quod uidetur quod nihil imperanti negare potest: nihil recusare audet. Poscit scilicet mulier: dandum est uocat ueniendum eiicit: abeundum: minatur extimescendum. ego uero istum non modo seruum: sed nequissimum seruum etiam si in amplissima familia natus sit appellandum puto.

Seneca libro X. rhetoricae suae.

*Manipulus florum*, Libertas g (Venetiis, 1493/5), sig.t4r.

Quid est enim libertas? Potestas uiuendi ut uelis.  
Quis igitur uiuit ut uult nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui uiuendi uia considerata atque prouisa est, qui ne legibus quidem propter metum paret sed eas sequitur et colit quod id salutare esse maxime iudicat, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique nisi libenter ac libere, cuius omnia consilia resque omnes quas gerit ab ipso proficiscuntur eodemque referuntur, nec est ulla res quae plus apud eum polleat quam ipsius uoluntas atque iudicium; cui quidem etiam quae uim habere maximam dicitur, Fortuna ipsa cedit, si, ut sapiens poeta dixit, «suis ea cuique fingitur moribus»? Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus.... Non enim ita dicunt eos esse seruos ut mancipia, quae sunt dominorum facta nexu aut aliquo iure ciuili; sed si seruitus sit, sicut est, oboedientia fracti animi et abiecti et arbitrio carentis suo, quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos esse seruos? An ille mihi liber est cui mulier imperat, cui leges imponit, praescribit, iubet, uetat quod uidetur, qui nihil imperanti negare potest; nihil recusare audet? Poscit, dandum est; uocat, ueniendum; eicit, abeundum; minatur, extimescendum. Ego uero istum non modo seruum sed nequissimum seruum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto.

Marcus Tullius Cicero, *Paradoxa Stoicorum*, 5, 34-36 (J. Molager ed., pp.118-19).

Quid est libertas? potestas uiuendi ut uelis.  
Quis igitur uiuit, ut uult, nisi qui recta sequitur.

Soli hoc contingit sapienti: ut nihil faciat inuitus:  
nihil dolens: nihil coactus.

Quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos esse seruos: An ille mihi liber est cui mulier imperat: cui leges imponit, praescribit, iubet, uetat quod uidetur? qui nihil imperanti negare potest: nihil recusare audet? Poscit, dandum est: uocat, ueniendum: eiicit abeundum: minatur, extimescendum. ego uero istum non modo seruum: sed nequissimum seruum, etiam si in amplissima familia natus, sit appellandum puto.

Cicero in paradoxa.

*Flores omnium fere doctorum*, Libertas g (Venetiis, 1550), fol.290v.